



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Art. V. Quæ sint excommunicationes Papæ reservatæ per Bullam Cœnæ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

ARTICULUS V.

Quæ sint excommunicationes Papa  
reservata per Bullam  
Cœna?

Resp. Præcipua est in hæreticos : quæ extenditur non tantum ad fautores, receptatores, & defensores hæreticorum ut sic, sed etiam in scienter retinentes, legentes, imprimentes, & defendentes libros hæreticorum, de religione tractantes, vel hæresin continentes. Ad quam excommunicationem incurrendam requiruntur 4. conditiones. 1. Ut author libri sit hæreticus. 2. Ut liber hæresin expresse contineat, vel de religione agat. 3. Ut legatur materia notabilis, & sufficiens ad mortale. 4. Ut scienter legatur, imprimatur, vel retineatur, *Laym. l. 2. t. 1. c. 15. n. 1.* Unde resolves.

I. Non excommunicari, 1. Si legas libros Catholicorum, referentes verba hæreticorum, etiam si animo hæresin discendi legas, *Laym. l. 2. ex Navar. Sanch. & c.* 2. Si in Catholici scriptoris libro, vel alio, hac Bulla non contento, legas adiecta scholia, vel notas authoris hæretici: quod tamen *Suar. tom. 5. d. 21. f. 2.* limitat, nisi scholia essent tam copiosa, ut ex iis potius, quam ex textu liber constare videretur. *Laym. l. c.* contra *Suar. & Sanch. & c.*

II. Non prohibentur hæreticorum libri philosophici, & alii hæresin non continentes, *Lay. l. c. n. 3.* Imo probabiliter nec ii, qui incidenter tantum continent hæresin non agentes ex professo de fi-

Mm 6

de,



de, Sayr. Graff. apud Lay. l. c. contra Suar. & Sanch. quid confirmat pro Germania, ubi Bulla cum tanto rigore non est recepta, v. Beca. 2. nu. 2. c. 15. q. 8. Legens tamen tales, incurrit excommunicationem non reservatam Indicis librorum prohibitorum, ubi is receptus est: quod non videtur esse factum in Germania, saltem cum isto rigore, ut habet Lay. l. c. n. 8.

III. Excommunicatur 1. Qui in sufficiente quantitate solum proœmium; vel epistolam ad lectorem, vel indicem libri, vel partem libri, in qua nulla est hæresis, legit, ut habet Laym. l. c. & Bon. 2. Probabiliter etiam is, qui alterum iussu suo legentem audit per alium, Lay. l. c. Azor. & c. contra Sanch.

IV. Probabiliter non excommunicatur, qui hæreticam concionem, aut epistolam seorsim editam legit; quia non est liber, Laym. l. c. n. 3. ex Sanch.

V. Non sufficit una alterave linea; imò secundum San. Rodriq. & Sa. nec integra pagina, etiam magni voluminis: quod tamen Bon. & Lay. l. c. non concedunt, licet hic fateatur, Confessario id posse ad hoc servire, ut non continuo damnet peccati mortalis, & excommunicationis eum; qui bono fine, vel etiam ex curiositate unam paginam legit.

VI. Non incurritur, si retinentur libri parvo tempore, v. g. uno alterove die: quia sicut materia, ita & temporis parvitas excusat, Lay. n. 7. ex Graff Sayr. Sanc. & c.

VII. Excusat ignorantia, etiam crassa, si vel

nescias



nescias esse hæreticum, vel tractare de religione,  
*Laym. n. 4. v. Sanch. l. 2. mor. c. 10. & l. 9. de mat.  
d. 32.*

VIII. Non excusatur is, qui librum vel in alie-  
na domo vel alieno nomine, vel animo non le-  
gendi habet. Item nec is, qui affirmat non esse  
pravum, non esse exurendum. Item qui impedit  
ne comburatur, qui disputationis causam defendit.  
Ita *Bon.* qui tamen excusat eum, qui laudat sty-  
lum, vel ingenium authoris, vel bonam doctri-  
nam, quæ in eo est, sed non quatenus in eo est:  
v. g. si dicas, hic liber esset bonus, si non haberet  
hæresin; quia talis non defendit. *v. Lay. l. c. Bon.  
d. 2. q. 5. p. 4.*

CAPUT III.

De Suspensione & Degradatione?

DUBIUM I.

Quid sit Suspensio, & quotuplex, & unde  
dignoscendum, qualis, & quari-  
ta sit?

R. Esp. I. Suspensio est censura, qua Clericus fun-  
ctiones aliquas Ecclesiasticas exercere prohi-  
betur, *vid. Bon. d. 3. pag. 2. Laym. l. 1. ir. 5. p. 3. c. 1.*  
Unde resolves.

I. Solus Clericus potest suspendi.

II. Suspendere possunt, qui possunt ferre cen-  
suras,

III. Ex